

Handwritten text on the spine edge, partially legible: "et die D..."

Handwritten text on the spine edge, partially legible: "Der ..."



2138.

Nm. 256

3

SPECIMEN PRIMVM
DE VANA VARIOLARVM INTERNARVM
DISQVIVITIONE.

QVO VHAS H. J.
VIRO EXPERIENTISSIMO AC DOCTISSIMO
IO. FRID. CHRISTIANO
PANZERBIETERO

MEDICINAE DOCTORI DIGNISSIMO
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES IMPETRATOS,
AVCTORITATE
SOCIETATIS MEDICAE DISPVATORIAE,
PRAESIDE AC DVCE

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO,
D. IO. CHR. STARKIO.

PROFESSORE MEDIC. EXTRAORD.
NOSOCOMII OBSTETRICII DIRECTORE
SECVNDQ, SOCIETATIS LATINAE IENENS. COLLEGA,
FLORENTIS,

GRATVLATVR
FR. WILLH. LVDOV. HIRT!

A. M. ST. IENENS.

LITTERIS STRAVSSIANIS.

SPECIMEN PRIMUM
DE VANA VARIOLARVM INTERNAZVM
SODALES SOCIETATIS:

I. H. ZAHN, Gothanus.

I. I. C. TRAPP, Roemhild.

W. E. CHR. HVSCHE, Vinariensis.

E. V. VOGLER, Schmalcad.

I. C. BOETGER, Varisc.

L. CH. SCHMIDT, Numburg.

I. L. TASCHEBERG, Lusat.

S. I. MOLINIE, Hamburg.

M. L. WITWERCK, Gedan.

C. L. SCHOENEMANN, Palatia.

—————
D. IO. CHR. STARKIO.

FR. WILHELM JAGOV (PHT)

—————
MITHIS STRASVANSIS.



Magna profecto audacia ravior, cum quasi patris Aesculapii et almae Hygeae atrium templi sanctum vix tangens, fronte inverecunda, pro mearum virium imbecillitate, de tam gravi atque Tanti nominis Virorum dubiis obnoxio argumento, audeam disputare. At enim vero, secundum legem societatis nostrae, mihi imposito iucundissimo illi officio gratulandi qui satisfaciam, mos et consuetudo suadet, quaedam praemittere. Longe igitur cogitanti, cum, regnante iam epidemia variolosa, nata mihi fuerit larga occasio, plures brevi tempore inspiciendi exuvias infantum variolosas, et in Theatro anatomico ex benevolentia D. SCHENKII Viri Exp. et in clinicis exercitationibus Clar. STARKII, quaedam de vana variolarum in internis corporis humani partibus disquisitione dicere, non plane ineptum videbatur.

Longa quidem et fere cruenta, saepius autem ridicula etiam inter doctos agitur lu-

cta, de rebus, quae arti nostrae utilitatem afferunt omnino nullam, quid? quod quae vilissima iudicari merentur. Sed non est quod verear, ne huius quoque libelli sententia, in numerum istarum possit referri. Etenim optimum quemque scientiae medicae peritum, si internam variolarum assumat infectionem atque eruptionem, in errores varios facillime induci, ita ut vel inani metu angi patiatur, vel falsas iudicet symptomatum causas, vel peruersam denique adhibeat curam, quilibet certe intelligit. Nam si FERNELII a) sententiam, qui permagno imitatorum numero gavissus est, et ex ipsis intestinis primam variolarum originem ducendam esse censer, nec non ratiocinia aliorum inde deducta, quae physiologicis nituntur argumentis, sequi placeret, nunquam variolarum internarum metu atque cura liberi esse possemus.

Abfit vero pruritus novaturiendi, absit cogitatio iuuenis audacis et petulantis, sententias aliorum, quamvis peruersas ridentis, sed lector benevolus consideret rem ingenue ac sincere narratam atque pro viribus diiudicatam.

Internarum vero Variolarum notionem meam hanc esse puto: sunt scilicet *verae pustulae variolosae*, quas multi partium observatores in externa pariter ac interna superficie tractus intestinalis, in pulmonibus, corde,

hepa-

a) Vnivers. Med. II. p. 28.

hepate, ceterisque intestinis atque abditiis corporis humani partibus, invenisse credunt et affirmant. Quibus autem adnumerari nolo internam pharyngem, arteriam asperam, ceterasque libero aëris affluxui expositas partes, quas omnino veris conspurcatis fuisse variolis, non modo mihi persuadeo, verum etiam summorum in arte virorum experimentis et ipsorum avtopsia, meaque suffultus contendo.

Vberimum hac in re principem adducam auctorem, Ill. nempe COTVNNIVM b), qui unus principum anatomicorum, largissimam hic mihi praebeuit materiam. Ipse enim, quamvis innumera inspiciendi cadavera ex nosocomio regio nactus sit occasione, nusquam tamen nisi in partibus supra descriptis, aëri expositis, internas vidit variolas, quamquam decidentium, confluentium et crudelissimarum [variolarum] speciebus corpora afflicta, iis denique occisa disquireret, in quibus eiusmodi labes interna suspicari liceret.

Promptissima fide dignus, accuratissimus et sincerissimus dissector de HALLER, c) se nunquam in cadavere reperiisse pustulas ultra pharyngem, aut ventriculum, aut intestina, aliave viscera obsidentes, expressis ipse verbis obtestatur. Cuius effato, etiamsi aliis care-

) (3 rem

b) De sedibus variolarum. Viennae 1771. 8.

c) Element. Physiol. T. VI. p. 99. Opusc. pathol. obs. 43. p. 132.

rem observationibus et argumentis fidenter optimo iure assentiendum esse, existimo.

Neque vero minus Fr. HOFFMANN, d) Extispiciis narratis, epicrisin hanc firmam addit: vulgarem opinionem, variolosos etiam interne in visceribus et intestinis pustulas habere, veritati contrariam esse.

Permulti huius sententiae adversarii BONNETI e) utuntur auctoritate, quem vero potius in meas partes recte possum vocare. In casu enim, quem ipse fuse et accurate narrat, praeter linguam atque fauces, nihil variolis infectum invenisse dicit, quamvis ad aliorum auctorum observationes, contrariam affirmantes, provocet.

Non dubito, quin sententia mea magno augeatur momento, ex immortalis MORGAGNI f) praeceptis sumto. Qui quidem infirmavit adversariorum argumenta (sed admodum breviter, quod sane dolendum) allegandis multis scriptoribus, qui non nisi in supra descriptis partibus variolas repererint. Concisam quoque SANDRII Observationem adduxit, qui intestina libera detexit, unicam tantummodo in larynge conspexit pustulam.

Praeterea plus, quam decem mecum communicavit Exc. STARKIUS et e sectionibus in cadaveribus variolosis institutis ea locupletavit, quae cum

d) Medic. consult. II. 232.

e) Sepulchret. anat. p. 1508.

f) De sed. et caus. morb. lib. IV. art. 33. 34.

cum hac sententia mea conveniunt. Plures nempe inflammationum species et gangraenofas partes intestinorum et pulmonum, glandularum mesentericarum obstructions, pulmonum phthises et rel. metastases materiae peccantis, aliaque graviora vitia, huc vero non spectantia animadvertisse, ne ullam unquam autem variolam internam vidisse enarrat.

Observationes denique, quas egomet ipse, laudata supra occasione institui, etiamsi paucae sint, nec illi, qui pertinax Viris doctissimis paullo ante memoratis fidem recuset, sint persuasurae; me tamen, qui omni adhibita cura et assiduitate, quantum modo liceret, interna et abdita scrutatus sum loca docuerunt, falsum esse et nunquam inventum, variolas intestinis quoque discernere.

Puella scilicet binorum annorum et quod excurrit, die morbi octavo, suppurationis ergo stadio ac febre occisa, allata fuit. Univerfa corporis superfices undique pustulis conspurcata apparuit et plurimae paullulum flaccidae quasi depressae, dehiscentes retrogressae videbantur; KERKRINGII g) ergo experimentum hic extra omne dubium positum et optime confirmatum invenire expectabam, qui sic retrocedentes illico in intestinis efflorescere assumit. Quemadmodum parum probabilis haec mihi visa est sententia,

(4

g) Oper. anat. p. 126.

fia, quod variolae minimo hoc momento pustulaverint in internis, sic etiam inanem expectationem meam fuisse revera vidi. Nam quibusdam intestinorum locis inflammatis exceptis, neque in externa, neque interna superficie eorum, ceterisque partibus exactius investigatis, quidquam variolis simile deprehendi.

Eadem fere immunitate in altera eiusdem aetatis puella omnia cadaveris interna conspicienda sese obtulerunt. Illa durante febre suppuratoria, incrementibus plerisque variolis obducta, convulsionibus dirissimis, frustra Liquore C. C. Succinnato, Camphora et R. Moschi artificiali adhibito, intra diem morbi septimum et octavum interempta est.

Iuvante amicissimo BRETSCHEIDERO, summa in rebus anatomicis assiduitate noto, duo accurate instituiamus extispicia, quorum prius in puero unius anni et semis, stadio suppurationis defuncto, peractum est. Multis elatis maturantibus variolis pureque repletis aspersam invenimus summam cutem, interna omnia intacta; praeter multos, intestina tenuia occupantes vermes. Duorum pollicum latitudine ab ortu iceni, in ipso interno huius intestini pariete, parvam invenimus, pisi magnitudine, rotundatam foveolam, leviterque quasi ad marginem inflammatam. Quis quaeso opinionibus praecudicatis captus, pustulam bene eleganterque formatam hic adfuisse non putasset, nisi oculis

lis accuratius penetrans, veram vermium erosionem intellexisset? Ceterum cerebrum et cerebellum iam a putredine molliter solutum, pellucido albo, gelatinoso fluido superinductum apparuit.

Alterum extispicium plane destructam nobis obtulit machinam humanam, in puellam trium circa annorum, detestabilis, aspectus et foetidissimi odoris. Variolarum in cute varius aderat conspectus; plurimae nempe exsiccatae ceperant, multae planae, depressae erant, nonnullae pauculum continebant pus, variolae vero in extremitatibus corporis perrarae erant. Omnia intestina extus et intus perlustrata, praeter inflammationis quaedam signa, a pustulis et maculis variolosis, libera erant. Glandulae axillares et parotides crasso, viridi pure scatebant, eodem modo ligamenta articulorum capsularia; ab horum uno ad alterum in brachio et crure atque ab angulo maxillae inferioris ad glandulam usque thyroideam, faccos et sinus, pure plenos, ossaque cariola reperiuntur. Eiusdem fere odoris pus erat, quem apud variolosos stadio suppurationis sentimus. Thorace aperto, in cavo dextri lateris, fluidum spissum et luteum vidimus, quod, rupto oesophago puellae vehementissimis convulsionibus et iterato vomitu extinctae, emanatum erat. Deprehendimus enim hoc fluidum eadem indole, ac illud in

ventriculo paululum contracto residuum.
 Ruptura oesophagi unius pollicis latitudine
 supra diaphragma conspicietur, sinumque
 super arteriam asperam, per mediastinum et
 pleuram formaverat, in cavum thoracis dex-
 trum hians. Lingua, velum palatinum et
 uvula lutea ceræ simili materia inducta et
 inflammata erant, pharynx vero hac materia
 plane occlusus erat. Duæ in palato conspi-
 ciebantur pustulae florentes. Larynx et pul-
 mones omnino sani. Oculum sinistrum in-
 terne totum naturalem, sed ex corneae la-
 mellis, per parvum foramen rotundum, al-
 bum, purulentum, expressum vidimus flui-
 dum. Vereor, ne taedio laboris ampli-
 tudine, si polyporum, inflammationum,
 sphacelofarum partium, aliarumque rerum non
 naturalium iam adferam narrationem, histo-
 riam quod attinet materiae puri similis in
 cavo thoracis dextro effusæ, frustra alle-
 gatam non puto. BARTHOLINVS h) enim
 ex aqua viridi, in pectore inventa collegit:
 variolas iam ruptas in pulmonibus adfuisse.
 Facile in hunc incidissim errorem, nisi levis
 compressio ventriculi, fontem scaturientem
 huius fluidi mihi monstrasset. Viri magni
 nominis negligentiam accusare, nedum vitupe-
 rare audeo, at non miror, cum quisque ex-
 uviarum scrutator properet, eiusmodi sectio-
 nem foetidam et periculosam finire. Etenim
 amico

h) Hist. anat. IV. abs. XLIII.

amico dira inde exorta est diarrhoea et nau-
sea perquam molesta, mihiq̄ue ex improvise
scalpelli tractu vulnus digiti, quanquam mi-
nimum, tamen vix superandum.

Accuratissimas quidem investigationes, om-
niaque argumenta, quae artis medicae fir-
missimis principiis innituntur, infirmare vi-
dentur praestantissimorum virorum observa-
tiones contrariae; quibus re vera internas
variolas probare student. Primoque intuitu,
leviter adhuc perspecta re, animus nondum
argumentis sat instructus, ex natura morbi
desumptis, quae, ratione contrariam esse in-
fectionem internam, demonstrant, quam fa-
cile dubius cui credendum sit redditur.

Ad Ill. COTURNI, hic instar omnium iam
laudatum egregium libellum provocare volo.
Conciso enim sermone doctissimorum adver-
sariorum argumenta refutat. Quodsi ergo
horum oppugnationem susciperem, me tan-
tum vana ac superflua repetitione obnoxium
redderem, ipsiusque armis pugnare viderer.

Quotidie vero id genus alia observato-
rum vitia deprehendimus, (quae quidem
omnibus fere hominibus communia) quibus
fit, ut aliquam in re dubia sententiam te-
nentes, ad cadaveris aliusque obiecti investi-
gationem ideo susceptam, semper certa cum
spe accedamus, nostram sententiam ipsa ex-
perientia confirmare. Oblata enim nobis
quadam similitudine a phantasiae viribus etiam
exag-

exaggerata, sensus nostri, opinione quasi nebula veluti, ea, quae non adsunt, facile percipiunt ac percipere cupiunt; quaeque longe aliter se habent, sub forma, quae desiderio optatis nostris respondet, conspiciunt. Qui vero nullo partium studio, nullaque praeiudicata opinione impediti in rem ita inquirunt, ut optimam habeant veri videndi occasionem, utque omnia adsint ab ipsis adversariis postulata rei accidentia atque momenta, nihil tamen eorum reperierunt, quae alii videre sibi persuaderent, maiorem certe illis fidem merentur, nisi plane improbos vel coecos esse, exploratum habeamus.

Profecto ab observatoribus rei tam incredibile qualis sit et infectio et pustulatio internarum partium, optimo iure, praecisam, plenam et accuratissimam desiderare possumus primum descriptionem morbi praeeuntis, sociantis, locorum, imo disquisitionem formae et figurae, naturae materiae in istis pustulis apparentibus contentae, sicuti Ill. HALLERVS i) fecit, in puris indolem inflammabilem inquirens, igni admoti lucidam vidit flammam.

Tales enim in universum propositae adversariorum observationes, certe veritatis characteribus carent. Sic e. gr. GVNZII k) affirmatio „memini semel atque iterum vidisse

i) Opusc. Pathol. 2. c.

k) In Hipp. de humorib. p. 158.

disse in iis, quos variolae sustulerant fuisse ipsa viscera et intestinorum canalem variolosis pustulis obsessum,, atque MEADII l) et ipsius magni BOERHAVII et SWIETENII multorumque aliorum, minorem habent valorem, ob desideratum testis ocularis signum. Quamquam ipsi eas non viderunt, tamen multi auctores sunt, qui aliis rationibus, et magistrorum auctoritate inducti, internas assumerunt variolas. PEYERUS, m) LENTILIUS, n) WERLHOFFIUS, o) FABRICIUS p) BEUSSERUS, q) PELARGIUS r) ceterique. Quanti vero eorum testimonia hic sint facienda, ubi accuratissimarum perscrutationum descriptiones expectare debemus, quilibet perspectum habebit, plurimos eorum sententiae meae potius favere puto, qui quanquam quaesiverint, nihil reperierunt.

Verum non mero, ut aiunt, auctoritatis praecudio, sed ab ipsis vero similibus rebus decepti observatores praesentes variolas credidisse, concedo.

Sac-

l) De variol. p. 30.

m) Obs. anat. XI.

n) Elcod. med. pr. p. 153.

o) Oper. med. p. 478.

p) Obs. circ. constit. epid. §. XX. n. b. in Haller diff. med. T. V. p. 336.

q) Hist. morb. et fest. cadav. var. desunt. cum epicr. Hall. diff. T. V. p. 580.

r) Obs. clinic. II. 72.

511 Saepissime enim ad variolas materiam diversi ordinis inflammatoriam accedere, constat; erysipelas, ophthalmiam, taceam purpurae species, scabiem, petechias, morbillos, multaue alia atrocia mala, quae non nunquam extrorsum, perversa vero naturae directione introrsum feruntur, et producunt in visceribus hyratides, flatus intestini, tumores interne elatos, qui maculas extrinsecus quasi pustulas referunt, iis vero accurate contemplatis verae reperiuntur bullulae aëreae. Praesertim in pulmonibus inflammatis tam sacculos purulentos, quam spuma aërea turgidas deprehendimus vesiculas. Metastases materiae cuiusdam ad interna, glandulae minimae meseraicae et supra ipsa intestina, semine cannabis non maiores u) inventae, vermium reliquiae transparentes, pinguedinis granula in tunicis intestinorum haerentia, multaue alia aegrotantis naturae phaenomena, optimumquemque variolas internas detegere sperantem, facile fallere, pertinacemque internarum pustularum defensorem incitare potuerunt.

Quibus igitur praemissis et argumentis anatomicis stabilitis, data nova occasione, in altera huius tentaminis sectione, rationibus quibusdam ex artis medicae praeceptis desumptis sententiam meam confirmare, simulque argumenta pro interna pustulatione allata,


u) Cotuni l. c. p. 35.

ta, porro infirmare studebo. Ceterum arbitri nulli parti addicti, non quod voluerim, sed quod potuerim hac in re praestare, iudicatis, enixe rogo.

Iam vero utrum luctus magis, an lactitiae sensum foveam in pectore meo, dum haec litteris tradam, simulque Viro doctissimo, Amico Suavissimo, proxime abituro et a nobis, forsan ad omnem vitam recessuro, gratulari aggredior de praemiis virtutis et collocatis iamiam in illo et in posterum iure meritoque collocandis, indicare mihimet ipsi difficillimum est. Nos quidem omnino experti sumus TE, Experientissime, Aestumatissime PANZÉBIETERE! in toto vitae TUAE curriculo, quo sorte iucunda, TIBI arctius coniungebamur, rariori fortuna et indole praeditum esse. Quemadmodum morum probitatem et elegantiam cum ingenii acumine admodum egregio studioque indefesso optime coniunctam, sic ceteras animi Tui dotes, quae eximiae vere putandae sunt atque ad imitandum splendidae, semper ostendisti. Itaque omnes boni, quibus felicitas illa contigit, qua TE Virum ob mentis praestantiam omnium caritate dignissimum cognoscerent, praematurum ut amicis semper videtur, Tuum ab academia conquerruntur discessum.

Quamvis somnia plura dulciloqua perplacent ipso evanescendo, quibus annumera-

ri licet vitae academicae amoenitates, tamen verum iterumque certissimum est, coniunctiones a iuvenibus melioris notae probique et cultioris ingenii in academia institutas, esse dulcia et admodum cara vitae eruditorum delicia, vitae inquam iuvenilis hilarioris, quae scilicet accomodata dignitati hominis scientiis solidioribus sese dicantis geri solet. Iam vero vinculo hoc iucundissimo Tibi iuncto, fors etiam gratissima mihi contigit, ut suadente societate disputatoria, omnium auctoritate et loco, ingenii TUI Prae-stantiae, animi integritati applaudere TIBIQUE voluptatem ac gaudia nostra ob lauream medicam, qua ornatus es, declarare, votaue sanctissima adiungere, properem. Defunt verba TIBI copiose significare ac testari, quo animo erga Te, Tuamque mentem amabilem atque praeclaram sumus affecti. Ne tristitiae nimis indulgeam; Valeas OPTIME, valeas omni tempore nostrum memor, rogo atque obtestor. Quod reliquum est, omnia quaecunque iucunda, amoena, bona et fausta, nec non felicitati utrique hominis parti commoda et utilia iudicanda, apprecamur Tibi candida mente. Vota denique ista pro salute Tua incolumi ex animo nostro integerrimo ad coelum missa, Deus exaudiat, probet et expleat cumulatissime. Dabam Ienae a. d. XXII Decembris CIOCCCLXXXII.



No 2282.

8^o

ULB Halle

003 060 616


3




Sb.

WIP

W





B.I.G.

Farbarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches Centimetres

3

SPECIMEN PRIMVM
DE VANA VARIOLARVM INTERNARVM
DISQUISITIONE.

QVO, VIAN H. I.
VIRO EXPERIENTISSIMO AC DOCTISSIMO
IO. FRID. CHRISTIANO
PANZERBIETERO

MEDICINAE DOCTORI DIGNISSIMO
SVMOS IN ARTE MEDICA HONORES IMPETRATOS,
AVCTORITATE
SOCIETATIS MEDICAE DISPVTORIAE,
PRAESIDE AC DVCE

VIRO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO
D. IO. CHR. STARKIO.

PROFESSORE MEDIC. EXTRAORD.
NOSOCOMII OBSTETRICII DIRECTORE
SECVNDQ, SOCIETATIS LATINAE IENENS. COLLEGA,
FLORENTIS,

GRATVLATVR
FR. WILLH. LVDOV. HIRT.
A. M. ST. IENENS.

LITTERIS STRAVSSIANIS.

